



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Dubium I. Quæ sit natura Statûs Religiosi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**





“ à Papa proveniat, decens est, ut talis communitas  
 “ ab eodem approbetur. *Lay. l. 4. t. 5. c. 1. Unde*  
 “ *resolvuntur hi Casus,*

“ I. Ad essentiam Religionis non requiruntur  
 “ vota solemnia. Ratio, quia qui in Societate JESU  
 “ vota simplicia edunt, sunt veri Religiosi, uti defini-  
 “ vit Gregorius XIII. in Bulla. *Ascendente Domino,*  
 “ *Laym. n. 4.*

“ II. Non sunt Religiosi ii Ordines militares, qui  
 “ conjugalem castitatem tantum vovent; sunt tamen  
 “ veri Religiosi milites S. Joannis, & Teutonici, co-  
 “ rumque similes, cum tria vota substantialia ha-  
 “ beant. Similiter ex Fratribus & Sororibus Ter-  
 “ tianis, sive Ordinis S. Francisci, sive aliorum, tan-  
 “ tum sunt Religiosi, qui in Religione approbata  
 “ secundum certam Regulam tria vota substantialia  
 “ emittunt: contra autem ii non sunt, qui licet tria  
 “ ista emittant & communiter vel seorsim habitent,  
 “ Regulam tamen à Sede Apostolica approbatam non  
 “ profitentur, *Laym. l. c.*

“ III. Religiosi non sunt, qui edito voto perpe-  
 “ tuæ paupertatis & castitatis obedientiam vovent  
 “ Confessario aut Episcopo. Ratio quia tali voto non  
 “ subjiciuntur jurisdictioni spirituali, quæ à Deo,  
 “ medio ejus Vicario, provenire debet. *ib. n. 7.*

“ IV. Etsi Papa in votis solemnibus Religionis  
 “ dispensare possit, ut quis desinat esse Religiosus, non  
 “ potest dispensare tamen, ut quis manens Religio-  
 “ sus, substantialibus votis non teneatur, quia ad es-  
 “ sentiam Religionis spectant. *Lay. n. 8 ex Navar, &c.*

“ V. Religiosus promotus ad Cardinalatum, vel  
 “ Episcopatum, obstrictus manet votis essentialibus  
 “ suæ Religionis; etsi quoad aliquos effectus pau-  
 “ pertatis & obedientiæ, exemptus censeatur. Dein-  
 “ de, etsi jugo Regulæ absolutus sit, quoad culpam &  
 pœnam;



pœnam, tamen ex obligatione Moralís honestatis  
 ex ea servare debet, quæ eum decent & cum ejus  
 munere consistunt: Hinc quoad habitum, sui Or-  
 dinis colorem deferre debet, etsi quoad figuram  
 Episcopis sæcularibus se conformare possit, ut Cle-  
 mens VIII. concessit apud Sanch l. 6. mor. cap. 6. n. 6  
 1. & seqq. & n. 34. Imò si Episcopatum resignet,  
 vel ob culpam deponatur, absque degradatione ta-  
 men, non tenetur ad Regularem observantiam re-  
 dire, quia retinet eminentiam Episcopalem, ob-  
 quam obedientiâ Regulari exemptus fuit, *Ibid.* ex  
 S. Thom. Rodr. Sanch. &c. Secus est in Cardinali  
 Religioso, qui non est Episcopus, hic enim relicto  
 Cardinalatu nihil retinet ex dignitate Cardinalitia,  
 ideoque si Papa ejus renuntiationem acceptarit, te-  
 netur redire ad obedientiam Regularem sui Ordi-  
 nis, Palaus, *Aug. Resp. mor. l. 5. d. 12.*

VI. Religiosus ad Parochiam promotus, cum  
 votis adstrictus maneat, tenetur deferre habitum  
 Religionis, Regulamque observare in omnibus,  
 quæ cum suo munere consistere possunt. Idque  
 non tantum secundum moralem honestatem, sed  
 sub obligatione gravis culpæ, si ad eam Regula ob-  
 liget. *Lay. n. 11. & 12.* Ubi addit, quod etsi Pa-  
 rochus Religiosus in iis, quæ ad Regulam spectant,  
 subjectus maneat Superiori jam tamen consuetu-  
 dine multis locis observari, ut non tantum in per-  
 tinentibus ad disciplinam Ecclesiasticam, sed etiam  
 in plerisque aliis ab obedientia Prælati eximatur, &  
 Episcopo subjiciatur. *v. Sylv. Sanch. n. 36.*

## A D D E N D A.

Questio 1. Quid præterea sit notandum circa  
 requisita ad substantiam Status Religiosi R.  
 seqq. A 2 §. I.



§. I. Ad essentiam Status Religiosi non requiritur votum omnimodæ paupertatis vel obedientiæ, *Castrop* t. 16. d. I. p. I. n. 4., & satis certum est, nam paupertas Scholasticorum in Societate JESU non necessariò abdicat dominium, uti expressè habet *Greg. XIII.* in Bulla, *Ascendente Domino*; Similiter obedientia non comprehendit omne opus bonum, sed tantùm spectantia ad regulam & constitutiones cujusque Ordinis.

3 §. II. Probabile quidem est, quod votum castitatis conjugalis, cum debito ex regula aliquando abstinendi ab uxoribus, si addatur aliis votis in statu ab Ecclesia approbato, constituat Religionem, adeoque ad Substantiam Religionis non requiratur votum omnimodæ castitatis, uti docent *Nav. Suar. Castrop. Sanch.* in Decal. l. 4. c. 16. n. 11. Oppositum tamen videtur probabilius cum *Carden. Busenb.* supra, quia ad Religionem requiritur votum talis castitatis, quæ sit consilium Evangelicum, ad quod spectat sollicitum esse, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, & non quomodo placeat uxori, sic enim divisus est, uti habet *Apostolus* 1. ad Corinth. 7. v. 33.; abstinencia autem illa quibusdam temporibus non vovetur, sed tantùm præscribitur per regulam, ergo votum solius castitatis aliunde ex præcepto debitæ non videtur sufficere ad statum Religiosum.

4 §. III. Ut quis fiat Religiosus, necesse est, ut vota substantialia Religionis admittantur ab aliquo Superiore: *Nec obstat*, quòd in Const. Societatis JESU p. 5. c. 4. in Declar. l. d. dicatur vota illius simplicia soli Deo offerri & non homini, ideoque non dicantur fieri in manibus alicujus, *nam* considerari possunt, 1. prout sunt promissio, & sic non acceptantur ab homine, quia promissio illa fit soli Deo; aliud est in professione & in votis Coadjutorum formatum,



rum, quia in illis non soli Deo, sed etiam homini fit promissio, uti patet ex verbis, quibus fiunt. 2. Prout sunt formula quædam ex intentione Ecclesiæ, Societatis & ipsiusmet voventis vim habens se tradendi in jus & corpus Societatis, & sic admittuntur ab homine, Superior enim acceptat & vult eum Societati incorporare, licet non omnino completè. Videri potest *Less.* in auct. v. *Societas IESU* cas. 3.

Q. 2. *Quis sint effectus professionis religiosa. R.* Effectus professionis in omni Ordine Religioso, item votorum in Societate *JESU* post novitiatum emissorum sunt seqq. uti ex *Suar. Sanch. Laym.* & aliis fusè deducit *Castrop.* t. 16. d. 2. p. 8.

1. Quòd vi illius Religiosus transeat in dominium & potestatem Religionis: Religio autem vicissim obligetur eum alere & gubernare.

1. Remissio omnis pœnæ culpæ debitæ, regulariter ex vi ipsius professionis vel votorum, tanquam condignæ satisfactionis: quamvis autem *Sanch.* neget idem fieri per renovationem professionis vel votorum, tamen id affirmant *Sa, Laym. & Castrop.*

3. Commutatio omnium votorum antecedentium, quæ fit non tantùm accedente voluntate profitentis vel voventis, sed etiam absque hac, jure ipso divino naturali, uti aliqui volunt, sed, uti probabilius vult *Castrop.*, jure tantùm Ecclesiastico. Quòd si profitens vel vovens huic commutationi contradicat, *Silv. Sanch. & Laym.* adhuc putant priora vota extinguì, quia hæc commutatio est à jure, cui non obstat voluntas hominis; alii probabilius dicunt tum non extinguì, quia voluntas illa conservat.

4. Sublatio irregularitatis ex defectu natalium. Statuerat quidem *Sixtus V.*, ut filius presbyteri esset inhabilis ad profitendum, sed moderatione factâ à *Greg. XIV.* intelligitur de eo tantùm, cujus pater



antè vel post in eadem religione est professus: unde omnes naturales, spurii, nati ex sacrilegio, incestu, adulterio possunt fieri Religiosi, & absque alia dispensatione ordinari, etiam in sacris. Quod si prius ordinati, fiant Religiosi, poterunt eosdem Ordines exercere sine dispensatione, possuntque promoveri ad doctoratum ac publicè docere, vide *Less.* in auct. v. *Professio Religiosa*, cas. 13. Ejusmodi tamen Religiosi manent inhabiles ad prælaturas in- & extra Ordinem; item ad dignitatem & officia intra Ordinem habentia annexam jurisdictionem ordinariam, qualem habent Abbas, Generalis, Provincialis, Prior, Guardianus, Præpositus, Rector: vult etiam *Suar.* manere inhabiles ad quævis beneficia, sed *Nav. Less. Sanch.* dicunt id verum esse de beneficiis tantum curatis; è contrà *Castrop.* dicit esse habiles etiam ad curata, quia putat excipi solas Prælaturas: non fiunt tamen apti succedere in bonis paternis, nam professio non reddit absolutè legitimos, sed tantum ad effectus aliquos in Ecclesia. Putat autem *Rodriq.* etiam per novitiatum tolli irregularitatem ex defectu natalium, sed contrarium est tenendum; sic autem tollitur etiam per vota simplicia Societatis JESU, ut si quis ab hac dimittatur, non reincidat in irregularitatem, quod enim semel sublatum est, non redit sine nova causa, qualis hic non ponitur, *Sanch. Castrop.* contra *Dianam* p. 4. t. 2. R. 66. Probabilius quoque est illegitimas Moniales excludi à Prælatura Abbatis & Prioris, quamvis multi apud *Dianam* p. 3. t. 2. R. 101. contrarium teneant. Vide *Leur.* p. 1. q. 263. & 264., ubi q. 271. & 285. explicat, quis cum Regularibus illegitimis dispensare possit ad Prælaturas; aut ut succedere possint parentibus in beneficio vel Prælatura.

9 5. Habilitatio ad aliquos effectus temporales.

uti



ut si ob crimen fuisset inhabilis ad ferendum testimonium, habilitatur per Religiosum statum.

6. Extinctio notæ ingratitude, ob quam prius contractam à patre exhæredari potuisset vel privari legitimâ. 10

7. Irritatio Matrimonii subsequenti, & etiam antecedenti, si sit tantum ratum & non consummatum. 11

Qui volet multa particularia de Religiosis, consulat *Suar. de Relig. T. 4.*, ubi tr. 9. l. 2. agit de Religione *S. Basilii, S. Benedicti, Carthusiensium, S. Hieronymi, Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum*. De iisdem, uti & de *Brigittanis* habet *Loth tr. 7. De Iesuitis Suar. tr. 10. Loth supra. De Beguinis, Canonessis, Devotessis, Loth. tr. 8.* Et de Canonessis aliqua dicemus à n. 229. De *Monialibus* agit *Loth tr. 23. De variis Confraternitatibus, Loth tr. 22. De Exemptis & Iurisdictione Episcopi* circa exemptos, agunt *Chok. de Jurisd. Ordin. Sanch. in conf. l. 6. c. 9. d. 1. & seqq. Lugo in resp. Mor. l. 5. d. 20. 24. 25. Diana p. 8. t. 7. R. 5. De privilegiis & juribus Monasteriorum, Engel in speciali tract. post Jus Canonicum Salisburgi impressum anno 1688. Item Alviset de privileg. Ord. Regul. Pelliz. A. Tamb. & alii passim. Denique cujus auctoritate erigi possint vel transferri Conventus aut Monasteria, & sub quibus conditionibus, videri possunt citati apud *Leur. p. 1. q. 43.**

DUBIUM II. 12

*Quæ requirantur ad valorem Professionis Religiosæ.*

RESP. Ad valorem ejus, tres requiruntur conditiones: I. Est qualitas, seu aptitudo voventis, scilicet,